



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

24. Do. IV. post pascha. V ado ad eum. lo. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

52 MEDITATIONES IN
DOMIN. IV. POST PASCHA.

Cant.
10.

Vado ad eum qui misit me.

Ioan 16.

1. **D**IXIT IESVS *discipulis. Expedi vobis, ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Confidete Christum prænunciare gloriosam suam ascensionem in cœlum, & spiritus sancti, post eam, missionē, (nempe in visibili forma, & pleniore abundantia) ut disceres, sicut ille post passionem glorioso corpore & anima ascendit in cœlum æterna felicitate cum sanctis ibi fruiturus, sic te, si sanctè vixeris, & pro Christo multa passus fueris, corpore & anima assumendum in cœlum. 2. ut accipias magnam gratiam Spiritus sancti, debere te animum abstrahere à lacte materno, hoc est consolationibus spiritualibus, quas solet Deus iniitio conversionis tyroni concedere, & parare te ad desolationum crucem ferendam. ideo enim Christus discipulis carnalem præsentiam suam subtraxit, ut Spiritus sancti gratia, qua cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.*

Spiri-

IN

CHA.

vobis,
non ab-
conside-
a suam
sancti,
ili for-
sceres,
orpore
felici-
si san-
as fue-
in cœ-
Spiri-
here à
us spi-
onuer-
ad de-
enim
ntiam
ratia,
fruc-
Spiri-

DOMIN. TOTIYS ANNI. 59

Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, iustitia & iudicio. Considera, hoc fuisse signum aduentus Spiritus sancti in Apostolos, quod cum ante timidi essent, & ad vocem ancillæ cū Petro terrentur, metu omni remoto Christum prædicarint, & mundum, id est, malos homines audacter arguerint: Primo de peccatis, quod cōverti nollent. Secundo de iustitia, quod crederent quidem, sed vitam non agerēt sanctam & irreprehensibilem, hoc est, verè iustam. tertio de iudicio, quia nulla re facilius peccant homines, quam temerè iudicando de aliis. Vnde Christus. *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Cogita in te quod fore Spiritum Dei, si mundum de his argueris.

Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Considera Dei bonitatem, non plura nobis imponentis, quam ferre possimus, & ad captum omnium se accommodantis: quod non facit caro & mundus, plura sæpe exigens à suis, quam portare queant. 2 cogita, quāuis multum nobis profecisse sæpe videamur, tamen multa adhuc deesse. 3. quanti te faciat Christus, quod non so-

D 3 lura

34 MEDITATIONES IN

lum seipsum totum, id est, corpus, animam & sanguinem, sed etiam spiritum sanctum suum promittat, mansurum tecum in æternum, ne erres, vel labaris.

*Vocem
Iucund.*

DOMIN. V. POST PASCHA.

Orandum esse Patrem. Ioan. 16.

A. **I**ESVS dixit discipulis (*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*) Considera, quanto opere Christus exoptet colloquiū hominis spirituale, quod fit per orationem, sic ut & præmiū promittat cū maxima asseueratione, nempe se daturum quicquid petitur. Longe alius est mos Principum huius seculi, qui ad colloquium suum non solum alios non invitant, sed neminem ad illud admittunt, nisi diuites, & quidē ab aliis multis rogati. Argue & tuam cæcitatē, quod pluris facias sæpe colloquium cum Principe terreno, quam cum cœlesti.

Q. *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Considera hinc colligi, quid petendum sit tibi à Deo, nempe vnde haurire possis gaudium plenum & perfectum. cum ergo gaudium perfectum & solidum nō sit in bonis huius mundi, diuitiis, honoribus,

volu: